

1567

siorum ordine Venetas misit, qui pecuniam, ac mercimonia a Judæorum debitoribus exigeret; negotii rite perficiendi solicitudo Aloysio Grimano a Patribus demandata est. His persecptis, Cubates digreditur. Sed cum ex Judæorum interceptis literis haud levis suspicio de negotio perperam Byzantii a Caballio administrato Patrum animis irrepisset, atque adversus illum Joannes Donatus vehementi oratione in Senatu usus esset, latum est, uti ab Antonio Canali, classis legato, e Cytera insula Venetas delatus, publicæ custodiæ traditus, atque a rerum capitalium Triumviris quæstione habita, in Senatu causam diceret. Ab Antonio Valerio Triumviro duplici crimine est accusatus: eo scilicet auctore *cogetum* fuisse confectum, atque pretio illectum Judæis favisse; inde Republicæ haud parum detrimenti accidisse. Caballius, nullis patronis adhibitis, suam in Senatu causam egit; singularique eloquentia, atque eximia dicendi vi, quæ illi objiciebantur, dilutis, candore anteactæ vitæ innixus, adeo judicum animos flexit, ut vi veritatis permoti, gravissimi, atque egregii Senatoris casum illachrymarent, cunctisque fere Senatus suffragiis absolutus, pristinam dignitatem, gloriæ incremento ampliorem factam, retinuit.

Selymus ex Pannonia digrediens Joanni Sigismundo bellum adversus Maximilianum prosequenti cum Turcarum Mœsiæ, ac Scythiae, quæ supererant, copiis Portavum Bassam præsto esse jussérat: quibus nixus Dacus Tocajum, summi momenti oppidum, Tibisco & Bogrodo amnibus vallatum, superiore anno a Suendio captum, aggreditur; tormentis muralibus magna vi munitionem quatit. Suendius ad opem Jacobo Ramingero, cuius fidei Tocajum commiserat, ferendam contendit. Maximilianus Henricum Staupicum cum Germanorum militum equitatū, peditum vexillis aliquot, pecunia, ac commeatu eodem progredi jubet. Interim decem Scytharum millia una cum Turcis, ac Mœsis, qui ad tutandas Daci res a Selymo relieti fuerant, seditione concitata, agros vastare; in cunctos mortales citra discriminem sœvire nuntiatur. Ea res solvendæ obsidionis Sigismundo causa fuit. Ramingerus in discedentes irruens, complures cædit; reliqui palantes, ac trepidi fuga saluti consulunt. Dacus, militiæ

in-

*Marinus
Caballius
ex Byzantio
na legatione
reversus in
cuffadiam
traditur.*

*Caballius
propriam
causam in
Senatu agit
absolvitur.*